



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis  
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris  
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

**Bernardus <Claraevallensis>**

VII. De vers. 7. Cadent à latere tuo mille &c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39254**

*Quatuor tem-  
sationum ge-  
nera, quibus  
impugnatur  
Ecclesia.*

1. Tyrannorū.
2. Hæreticorū.
3. Falsorum  
filiorum, i. e.  
malorum Cle-  
ricorum.

*Ecclesiasticas  
dignitates &  
officia sacra  
perversè u-  
surpantes gra-  
viter perstrin-  
git.*

4. Antichri-  
sti.

o 1. Thes. 2. a  
p Matt. 24. b  
q Sermon. 30.  
in Cant.

exercebat novellam adhuc Ecclesiæ plantationem, quando omnis qui oc-  
ciderat servos DEI, arbitrabatur se obsequium præstare Deo? Demum  
persecutione cessante, & die reddita, turbavit eam gravius & affixit sa-  
gitta volans, quando exierunt aliqui de Ecclesia inflati spiritu carnis suæ,  
inanis & volatilis gloriæ cupidi: & volentes sibi facere nomen linguas  
suas magnificando, diversa & perversa dogmata fabricaverunt. At nunc  
quidem pax à paganis, pax ab hæreticis; sed non est pax à falsis filiis.  
Multiplicasti gentem Domine JESU, sed non magnificasti lætitiā; quo-  
niā multi sunt vocati, pauci verò electi. Omnes Christiani, & omnes  
ferè quæ sua sunt quærunt, non quæ JESU CHRISTI. Ipsa quoque Ec-  
clesiasticæ dignitatis officia in turpem quæstum, & tenebrarum nego-  
tium transiere: nec in his salus animarum, sed luxus quæritur divitiarum.  
Propter hoc tondentur, propter hoc frequentant Ecclesias, Missas cele-  
brant, Psalmos decantant. Pro Episcopatibus & Archidiaconatibus, Ab-  
batiis, aliisque dignitatibus impudenter hodie decertatur, ut Ecclesiarum  
reditus in superfluitatis & vanitatis usus dissipentur. Superest ut revele-  
tur homo peccati, filius perditionis, dæmonium non modo diurnum, sed  
& meridianum; quod non solum transfiguratur in angelum lucis, sed ex-  
tollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur<sup>o</sup>. Nimirum in-  
fidiatur crudelius calcaneo matris Ecclesiæ; à qua dolet caput suum esse  
contritum. Hic planè gravissimus erit incurfus, sed ab hoc quoque Ecclē-  
siam electorum veritas liberabit, propter eos brevians dies<sup>p</sup>, & dæmo-  
nium meridianum destruens illustratione adventus sui. Et hæc quidem  
dicta sunt de tentationibus istis; nam & in sermone quodam super Can-  
tica Canticorum<sup>q</sup> memini me super his tractasse similiter, cum meri-  
diani huius dæmonii mentio incidisset, ex occasione scilicet meridiani ac-  
cubitus sponsi, quem sibi sponsa petierat indicari.

### S E R M O VII.

*De ꝑ. VII. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris  
tuis: ad te autem non appropinquabit.*

**I**N spe vivimus, Fratres, nec deficimus in tribulatione præsentī, quòd  
in expectatione simus indefectibilium gaudiorum. Neque enim vana  
vobis hæc expectatio, aut dubia spes videtur, innixa nimirum æternæ  
promissionibus veritatis. Deinde etiam ex perceptione præsentium mu-  
nerum firma est expectatio futurorum, & præsentis gratiæ virtus nimis  
credibiliter attestatur felicitàtem promissæ gloriæ sine dubio secuturam.  
Nempe Dominus virtutum ipse est rex gloriæ: & in hymno<sup>a</sup> quoque  
eundem votis cantamus Patrem perennis gloriæ, Patrem potentis ga-  
tiæ;

<sup>a</sup> In Brev.  
ser. 2. ad  
Laud.

In Psalmum XC. Qui Habitat, Serm. VII. 509

tia: cui & in psalmo canimus <sup>b</sup>. *Quia misericordiam & veritatem diligit Deus, gratiam & gloriam dabit Dominus.* Viriliter ergo sustineat in hoc seculo pietas colluctationem, & persecutionem quamlibet æquanimiter patiat. Quidni tolleret omnia, quæ ad omnia valet, promissionem habens eius vitæ quæ nunc est, & futuræ? Repugnet fortiter impugnanti, quia & repugnanti propugnator aderit indefessus, & triumphanti non deerit largissimus remunerator. *Scuto, inquit, circumdabit te veritas eius.*

Necessaria planè insuperabilis protectio veritatis, non modo interim in carne degenti, sed postmodum exeunti: & nunc quidem ob periculosos conflictus, tunc verò ob monstruosos occursum spirituum malignorum. Nempe & sanctissimam illam gloriosi Martini animam voluit pars inimica nocere, & cruenta bestia sciens quod modicum jam tempus haberet, tota profecto insania malitiæ infatigabilis, non est verita prope assiltere ei quoque, in quo nihil habebat. Immo verò ad ipsum etiam Regem gloriæ accedere impudentissima temeritas illa præsumpsit, sicut ipse testatur <sup>c</sup>: *Venit enim princeps mundi huius, & in me non invenit quicquam.* Felix anima quæ sic interim tentationum jacula scuto veritatis repulerit, ut nihil prorsus venenatum in se coalescere passa, omnino non confundatur cum loquetur inimicis suis in porta. Nil in me, funeste, reperies. Felix quem sic circumdat clypeus veritatis, ut introitum quoque & exitum eius custodiat; exitum utique ab hac vita, & introitum in futuram, quò videlicet nec moliatur à tergo, nec à facie mali quippiam inimicus attentet. Siquidem omninò opus erit illic custode, opus erit duce fideli, opus erit consolatore magno propter horribiles illas visiones; non minus quam hic adiutore & propugnatore contra invisibiles tentatores.

Glorificate itaque, dilectissimi, & portate interim Christum in corpore vestro, onus delectabile, suave pondus, sarcinam salutarem, etiam si premere aliquando fortè videtur; etiam si interdum latera tundit, & flagellat recalcitrantem; etiam si quando in chamo & fræno maxillas constringit & coercet omninò feliciter. Esto ut jumentum, qui Salvatorè portas, sed non penitè & jumentum. *Homo, inquit <sup>d</sup>, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Quid enim tantopere vel plangit Propheta, vel arguit in homine similitudinem jumentorum, præsertim qui alio quodam loco de se loqui & dicere Deo non sine quadam congratulatione videtur <sup>e</sup>: *Vt jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum?* Puto, inò non puto, sed scio similitudinem aliquam jumentorum homini commendari; sed planè non eam quæ in non

<sup>b</sup> Psal. 83. c

*B. Martinum moribundum tentat diabolus.*

<sup>c</sup> Ioan. 14. d

*Moribundis quam fideli duce & præsidio opus.*

*Onus Christi, quamvis premere videatur, portandū.*

<sup>d</sup> Psal. 48. c\*

<sup>e</sup> Psal. 72. d\* *Qualis similitudo jumentorum homini conveniat.*

intelligendo, & insipientiæ, sed patientiæ imitatione consistat. Neque enim succensentis similiter, sed ne plangentis quidem videretur vox si dixisset, Homo cum sub onere Dei esset, non recalcitravit, ut jumentum factus est apud eum. Quis enim non illi jumento plurimum invideret, cuius in humili tergo ad commendationem ineffabilis suæ mansuetudinis dignatus est sedere Salvator: si cum illius tam preciosi oneris gestatione intelligentiam quoque tam singularis habuisset honoris? Ut jumentum igitur esto, minimè tamen jumentum, patienter quidem sustinens onus, sed honorem intelligens; sapienter & delectabiliter cogitans tam ipsius oneris qualitatem, quàm propriam utilitatem.

B. Maria à  
B. Ignatio  
appellatur  
Christifera.

Magnus ille Ignatius, Discipuli quem diligebat JESUS auditor Martyr noster, cuius preciosis reliquiis nostra ditata est paupertas, Mariam in pluribus, quas ad eam scripsit Epistolis, *Christiferam* consalutat. Egregius planè titulus dignitatis, & commendatio honoris immensi. Nempe cui servire regnare est; gestare hunc, non onerari est, sed ornari. Cæterum unde ei, de quo nunc loquebamur, Salvatoris a fello verendum ullatenus videbatur, ne sub illa tali sarcina deficere posset in via? An verò timendus ei aut luporum incurfus, aut raptorum occurfus, vel præcipitium seu periculum aliquod sub tanto præside metuendum? Felix qui sic tulerit Christum, ut à Sancto sanctorum in sanctam civitatem mereatur induci. Non est omninò quod timeat, ne vel in via aliquod offendiculum, vel repulsam in janua patiatur. Illi nempe jumento viam parabant fideles populi, huic Angeli sancti: *quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Sed non sunt hæc præoccupanda modò, series magis ipsa Scripturæ expositionis ordine sequenda est.

*Cadent à latere, inquit, tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit.* Hic enim versus hodie nobis tractandus est: non ignoratis. In præcedenti sanè capitulo, quod novissime tractabatur, dictum est, si recolitis, quemadmodum à quatuor quibusdam maximis e quidem gravissimisque tentationibus huius vitæ protectio liberet veritatis; videlicet à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurfu & dæmonio meridiano. Quod igitur sequitur, *cadent à latere tuo mille &c.* futuræ magis vitæ arbitror assignandum. Unde & in principio sermonis huius meministis adhuc, ni fallor, sententiæ Apostolicæ, qua videlicet valere ad omnia pietatem, vitæ quoque eius quæ nunc est, & futuræ promissionem, habere commendat. Audite ergo, & audite in lætitia cordis vestri, quod ad futuræ

In Psalmum XC. Qui Habitat, Serm. VII. 511

futurae vitae promissionem, vestramque expectationem pertinere videtur. Vbi est thesaurus vester, sit & cor vestrum. Et quidem studiose audistis praesentia, non sum immemor, sed studiosius decet futura audire. Nam & pseudopropheta (Balaam dico) recolite, qui historias nostis, & ipse, inquam, iniquus justorum mortem optabat, & novissima sua horum similia fieri precabatur. Tantus est pietatis fructus, tanta justitiae merces, ut ne ab ipsis quidem non desiderari queat impiis & injustis. Minus tamen oblectat canticum Sion salices Babylonis, suspendenda proinde organa apud eos, lamentandum magis super flumina Babylonis, si forte persuaderi eis possit ut plangent. Hic planè cantandum est, ubi non deerunt qui tota alacritate spiritus saltent ad vocem psalterij, ad canticum Sion: & vehementia quadam sacri desiderij ad eam gestiant praevolare, dicentes: *Quis dabit mihi pennas sicut columbae, & volabo, & requiescam* <sup>h</sup>? Quid enim aliud exultare, quàm ex seipso saltare est? Minus sapit iis qui medio adhuc periclitantur in mari, jactantur undis, aguntur fluctibus, quamlibet favorable sit; quod de remoti & prope jam desperati tranquillitate seu amoenitate littoris nunciatur. Sed nec ad ejusmodi pertinet animam quod hodie nobis propositum est. Neque enim talis quæpiam adhuc meretur audire: *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* Memento cui hæc promissio facta sit. Nempe ei qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.

Audiat igitur is, qui salutis portui cogitatione jam & aviditate appropinquat, qui præiactata velut quadam anchora spei suæ, terræ illi desiderabili inconvulsibiliter inhæsisse videtur, cunctis diebus quibus nunc militat, expectans donec veniat immutatio sua. Certissima sanè & præcipua propinquatio portus hujus, hæc ipsa conversatio ejus, in qua positi estis, exitus præparatio est, vocationis videlicet & justificationis divinæ. In his nempe duobus fidelis quædam constituta est connexio velut cuiusdam æternitatis ad æternitatem, id est magnificationis ad prædestinationem, quarum equidem sicut prædestinatio nullo est præcisa principio, sic & magnificatio nihilominus nullo unquam fine claudenda. Ne verò eam, quam diximus, quasi geminæ hujus æternitatis mediam connexionem, esse putes nostræ ad inventionis, Apostolum audi, si non eandem tibi manifestius ipse commendat <sup>h</sup>: *Quos enim præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui*, quomodo putas aut quo ordine magnificabit? Si quidem quæ à Deo sunt, ordinata sunt. Num à prædestinatione ad magnificationem saltu quodam pervenies repentino? Provide tibi medium pontem, aut magis ingredi jam paratum. *Quos prædesti-*

g Num. 23. b

Pietatis fructus  
etiam impiis  
desideratus.

h Psal. 54. b

Prædestinatio  
nis implenda  
sen exequenda  
quæ media.

i Rom. 8. f\*

navit, inquit, hos & vocavit: quos autem vocavit, hos & justificavit. Et quos justificavit, hos & magnificavit.

Hæc via equidem bona videtur nonnullis hominibus, sed & bona est, nihil super ejus sine timendum. Non tibi sint viæ hujus suspecta novissima, perge securus, tantò vividius, quanto certius ea jam propinquare videntur. Nempe tenes media, quomodo non novissima propinquent? *Agite*, inquit <sup>k</sup>, *pœnitentiam, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Sed *regnum*, inquires, *cœlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud.* Nihil mihi ad hoc nisi per medios hostium cuneos patet accessus; in itinere medio sunt gigantes, in aere volitant, obsident transitum, observant transeuntes. Attamen fiducialiter age, ne timeas. Magni sunt, multi sunt; sed *cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* Cadent undique nunquam tibi deinceps in perpetuum nocituri: parum est, non appropinquaturi. Equidem videbit peccator & irascetur, sed à latere veniet: quod videlicet præveniat te misericordia Dei tui, eadem quoque nihilominus etiam misericordia subsequatur, & introitum videlicet tuum (ut quidem supra meminimus) & exitum tuum custodiens. Alioquin quid in illo tam terribili spiritualium nequitiarum occursum humani possent consistere sensus, quòd non intolerabili concuterentur horrore?

*Protectio divina nobis securitatem præstat.*

Quid putatis, Fratres, si vel uni alicui è tam multis principibus tenebrarum in medium vestri irruere, & in tota feritate sua ac tenebroso enormitate corporis apparere liceret; quis illum posset vel corporis sensus sustinere vel cordis? Denique ante hos paucos dies (ipsi scitis) unum quendam ex vobis & prius dormientem, & postea excitatum, tam graviter phantasia nocturna perturbare permessa est, ut vix illa die rationis compos, vix potuerit esse securus. Etiam omnes vos pariter expavistis, cum territus ille terribilem nimis exclamasset in vocem. Erubescendum sanè, quod usque adeo fides in vobis vel dormientibus visa fuerit obdormisse, sed ad nostram sine dubio factum est admonitionem, ut tota sollicitudine meminerimus adversum quos nobis sit colluctatio, nequando scilicet aut ignari hostilis invidiæ, aut protectionis divinæ inveniamur ingrati. Ex vehementissimo siquidem proprii cruciatu livoris in tantum prorupit malitia inveterata furorem, his præsertim diebus sanctis acrius sese indicans vestra devotione torqueri. Eodem sanè tabescentis infantiæ zelo, sed licentia ampliori exeuntibus sanctis adest, non nisi à latere tamen. Neque enim vel occurrere jam à facie quasi ut vim faciat, vel à tergo reperere tanquam ut decipiat, permittetur.

*Demoni aspectu terribili cur aliquando permittatur pios terrores.*

*Sed irritato conatu.*

Sed nec juxta iter quidem scandalum de cætero ponet tibi; ad te enim non appropinquabit, non modo non attinget, ut feriat, sed nec accedet ut torreat.

In Psalmum XC. Qui Habitat, Serm. VII. 513

terreat. Puto enim id verebaris, ne te forsitan gravis ad illas tam monstruosas effigies, & larvalium tantam multitudinē facierum horror invaderet, sed egregius tibi paraclētus & efficacissimus aderit consolator, ipse nimirum de quo legisti <sup>l</sup>: *Coram illo procident Æthiopes, & inimici ejus terram lignant.* Planè ad nihilum deducetur in conspectu ejus malignus, si timentes se glorificabit. Præsente te Domine Jesu quantumlibet irruant hostes: immo non irruant, sed ruant; confluant undique, sed ut fluant, & pereant à conspectu Domini, quemadmodum fluit cera à facie ignis. Quid enim metuam deficientes, quid trementes paveam, quid verear cadentes? Et si ambulavero in medio umbræ mortis non timebo mala, dummodo tu mecum sis Domine Deus meus <sup>m</sup>. Siquidem protinus aspirabit dies, & inclinabuntur umbræ, cadent hincinde principes tenebrarum. Quos enim nunc quoque dum inter malignas eorum occultasque suggestiones per fidem adhuc non per speciem ambulamus, fides tamen victoriosa triumphat; quomodo non facilius ipsa jam tunc propalata cognitio veritatis evidens cum suis illis tenebrosis ferrugineisque imaginibus exsufflabit? Nec causeris forte de numero, vel ipsam saltem multitudinem verearis. Memento sanè quòd ad unum Salvatoris imperium ab obsessio jam & diu possessio unius hominis corpore dæmonum regio tota discessit, & ne ipsos quidem ausa est, nisi ab eo jussa, contingere porcos: quanto magis ipso duce quotquot fuerint undique cadent cum ingenti admiratione & confusione, dicentes <sup>o</sup>: *Quæ est ista quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* Intrepidus itaque & omnino impavidus, magis autem gratulabundus, & laudans oculis tuis considerabis: nec sanè jam vel impugnationem sustinebis, vel furorem pavebis, sed magis retributionem peccatorum videbis.

Et quidem videntur sufficere posse hodie quæ dicta sunt, sed adhuc sanè aliquos vestrum nonnulla arbitror expectatione suspendi. Movet enim studiosiores quosque (ni fallor) quidnam sibi velit quod à *dextris* quidem *decem millia*, à *sinistris* verò *mille* perhibet esse casuros. Nam latus sanè quod simpliciter dicitur, non nisi sinistrum hoc loco licere accipi puto; præsertim quòd dextrum quidem incontinenti proprio designetur ex nomine. Et quidem non sine certi ratione mysterij à *sinistris* multos sed multo plures à *dextris* casuros esse prædixisse videatur. Nisi forte quis tam hebes fuerit & insulsus, ut in eo quo dicitur *mille & decem millia* certà exprimi putet numeri taxationem, & non magis superabundantem comparisonem. Nos enim sic non divinas Scripturas accipimus, sed neque Ecclesia Dei. Cadent ergò à *sinistris* quidem *mille*, à *dextris* autem *decem millia*:

<sup>l</sup> Psal. 71. b

<sup>m</sup> Psal. 137. b  
Nulla potestas  
aut multitudo  
maligna timenda  
duce & protectore Christo.

<sup>n</sup> Matt. 8. 1

<sup>o</sup> Cant. 6. a

Decem millia à dext. & mille à sinist. quid signif.

*Dextrum & sinistrum duo latera in corpore Ecclesiæ. e. spirituales.*

*\*p. Job. 40. c. Spirituales & perfectiores acrim impugnat Demon, quam seculares & imperfectiores.*

*1. Reg. 18. b.*

*Alia expof. per Dexterã, spiritualia & celestia: per Sinistrã corporalia & terrena intelligit illu potius quã hu infestus Demon.*

*\* Prov. 3. b.*

*millia:* quòd videlicet abundantiori malignitate & velut copiofiore manu dextris infistere partibus, dextrum latus appetere confueviffent. Quod quidem, fi magnum illud Ecclesiæ corpus considerare libet, facile fatis advertimus longè acrius impugnari spirituales viros ipsius Ecclesiæ, quam carnales: quæ nimirum duo, ejus latera, dextrum sinistrumque puto non inconvenienter accipimus. Agit hoc sanè superba semper invidiosa malitia, perfectiores quosque vehementius pullans, juxta illud: *Esca ejus electa*. Et iterum: *Absorbebit fluvium, & non mirabitur, & habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus.* Agit, inquam, etfi non sine certa divini despenfatione consilij: qui quidem nec imperfectiores, supra id quod ferre possunt, tentari permittit, faciens cum tentatione proventum: & perfectioribus non modo gloriosiores, sed numerosiores parat ex hoste triumphos. Tota ergo pariter electorum Ecclesia coronabitur, quod ex utraque parte sui legitime certaverit, utroque nimirum cornu tam potenter interim ventilans inimicos, ut paulò post manifestius cadere videantur à latere ejus mille, & decem millia à dextris ejus. Sic nimirum olim jam quidem David perfectiore virtute probata, necdum verò propalata in Israel reprobatione Saulis, canebant in choro dicentes: *Percussit Saul mille, & David decem millia.*

Sin autem ad singulos magis placet hoc referri, non vobis deest ne in hac quidem parte spiritualis intelligentiæ via dummodo propriam super hoc experientiam consulatis. Longe siquidem ampliori sollicitudine, & calliditate multiplici pars adversa vulnerare in nobis dexteram satagit quam sinistram: nec tam corporis profecto quam cordis laborat auferre substantiam. Utramque nimirum prosperitatem humano generi invadere noscuntur, utraque eos felicitate privare contendunt, & cœlesti videlicet & terrena, sed longè amplius rore cœli, quam pinguedine terræ. An verò incongruè hæc dixerimus duo latera, quibus nimirum duplicem hominis substantiam constat inniti, vos judicate. Nam quòd spiritualia quidè bona attribuimus dexteræ, sinistræ verò carnalia, minime prorsus vereor arguendum? præsertim à vobis quibus semper studij est nec dexteram aliquando sinistram, nec sinistram dexteram reputare. Nec verò aliter vera quidem sapientia probat, quam ut sinistra divitiæ & gloria, in dextera autem sit longiturnitas vitæ. Nam & hoc sanè nullatenus expedit ignorare quam vobis vehementius instet pervicax hostium multitudo: illic nempe studiosius repugnandum, ubi gravior urget necessitas, ubi totum belli imminet pondus, & ubi colluctationis ratio univèrsa consistit: unde vobis paratur tota aut victis ignominiosa captivitas, aut vincentibus gloria triumphalis.

Denique



In Psalmum XC. Qui Habitat, Serm. VII. 515

Denique propter hoc non quidem ad insipientiam vobis, tundendum liberè adversario videmini latus exposuisse sinistrum, ut dextrum proinde tota sollicitudine conservetis. Hæc nimirum commendata à Christo, & Christianis omnibus imitanda serpentis prudentia est, ut caput solum toto (si necesse fuerit) exposito corpore tueatur. Hæc vera philosophia, hoc consilium Sapientis, ut omni custodia servetur cor, quia ex ipso vita procedit. Hæc denique gratia, & misericordia Dei in servos ejus, & respectus in electos illius: ut in eorum interim sinistram quidem velut dissimulans, dexteræ semper studiosus protector assistat. Hinc est quod de seipso Propheta testatur: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commovear.* Nunquid non & illius manum dexteram & solam eam putas tenuisse, cujus totam in facultatem pariter, & in carnem licere passus est, quicquid libere visum est inimico? *Veruntamen animam, inquit, ejus serva.* Utinam mihi semper à dextris sis, Jesu bone: utinam semper teneas manum dexteram meam. Scio enim & certus sum, quoniam nulla nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas. Tondeatur interim & tundatur sinistrum latus, pulsetur injurijs, vellicetur opprobrijs: libens illud expono, dummodo à te custodiar, dummodo sis ipse protectio mea super manum dexteram meam.

Fortè etiam mille qui à sinistris casuri sunt, homines magis intelligendi sunt quàm dæmones. Hi nimirum nobis non nisi ob temporalia quælibet adversantur, & transitoria bona, quæ quidem aut nos habere invidiosa malignitate suspirent, aut cupiditate injusta sese potius doleant non habere. Fortè enim mundi hujus conantur auferre substantiam, forte favorem hominum, forte ipsam corporum vitam. Usque huc sævire humana persecutio potest: animæ verò non habent quid faciant. Nam dæmones quidem superna nobis, & æterna potius invidere noscuntur, non tamen ut sibi cedat, quod irreparabiliter amiserunt; sed ne illuc pauper de pulvere suscitatus accedat, unde ipsi in gloria conditi irreparabiliter ceciderunt. Indignatur & livore tabescit obstinata malignitas humanam fragilitatem obtinere, quod retinere ipsa non meruit. Sed & si quando fortè cujus temporalia damna aut inferre conantur, aut gratulantur inferri; hæc eorum tota molitio est, ut jactura exterior vel eidem ipsi, vel alteri occasio sit interna: sicut è regione homines quotiens ea suadere nobis, aut quolibet modo efficere curant, unde dextera nostra lædatur, non hoc quidem principaliter agere, sed temporale aliquod cujusvis proventurum, vel sibi scilicet, vel nobis, vel alteri forte culpam, aut detrimentum aut emolumentum exinde seu captare, seu propulsare velle videntur. Nisi forte catenus quis in dæmonem tran-

Sermones S. Bernardi,

T t

fieri

*Sinistra pro salute dextera; i. e. corporalia pro spirit. exponenda.*

Prov. 4. d

Psal. 15. c

Job. 2. b

*Mali homines & maligni Dæmones diversimodè nobis noxij, illi in temporalibus, hi in spiritualibus boni.*

*Cur dæmon tan infensus homini ad nocendum.*

fierit ex homine, ut optare ullo modo possit quemlibet sibi inimicissimum hominem æterna damnatione multari.

*Religiosos terrena & secularia tractantes graviter perstringit.*  
Psal. 136. b.

Gal. 3. a.

*Alia religionis possessio est eaque potius curanda ut pote pretiosior, sed & majoribus exposita periculis.*

1. Cor. 9. &  
Gal. 6. b

Quid nos miseri dormitamus à spirituali studio, quos tam multipliciter insectatur nequitia spiritualis? Et pudor est dicere, & filere prohibet vis doloris. Quantos enim invenire est, Fratres, ex his quoque qui in religionis habitu & proposito degunt perfectionis, quos terribilis illa Prophetæ sententia comprehendisse videtur: *Si oblitus fuero tui Hierusalem, oblivioni detur dextera mea.* Nempe finistri custodiæ lateris tota sollicitudine incubantes calent admodum, sed sapientia hujus sæculi, cui abrenunciâsse debuerant: ea quoque nihilominus quam revelat caro & sanguis: quibus juxta Apostolum noluisse acquiescere videbantur. Denique videas eos tam avidè lucra captare præsentia, tam seculariter transitoriis utilitatibus adgaudere, ad terrenarum damna vel minima facultatum tam pusillanimitè turbari, tam carnaliter super his decertare, discurrere tam impudenter, tam irreligiosè sæcularibus sese implicare negotijs, ac si hoc esset tota eorum portio, hæc universa substantia. Attentius sanè agricola pauperem excolit fundum, sed cui forte nulla amplior preciosiorve sit possessio. Buccellam panis in sinu suo mendicus abscondit: quod in sacellis suis solum hoc metalli genus æruginet. Tu quid ita extremæ huic paupertati, & quidem proprij malè prodigus laboris, incumbis? Est & alia tibi possessio, & si fortè remota. Erras. Nil tam prope nos, quam quod intra nos est. At fortè non quidem longius positam, sed inutilem esse causaris, ut hic tibi quærendam magis sufficientiam putes. Falleris, ibi magis invenies, immò non invenies nisi ibi. An verò æstimas quod vel operam tuam non exigat, vel minus respondeat operanti? Aut certè in tuto credis esse locatam, nec ulla deinceps sollicitudine custodis egere? Quodlibet horum sapias, scito quòd desipias vehementer. Ibi enim quam maximè quæ seminaverit homo, hæc & metet. Sed & qui parcè seminat, parcè & metet: qui verò in benedictionibus seminaverit, de benedictionibus & metet, ut faciat unum tricesimum, unum sexagesimum, unum centesimum. Habes autem thesaurum istum in vasis fictilibus, si tamen adhuc habes. Puto enim jam amisisti, puto jam sublatus est, puto jam comederunt alieni robur tuum, & ignorasti, nec potes thesauro tuo cor apponere; quippe qui thesaurum ipsum non habeas. Alioquin quæso te, si tam sollicitus es, si nec minima spernis, si tam prudenter servas paleas tuas, etiam horreum tuum servare memento & custodire. Immo verò non exponas thesaurum tuum, qui sic incubas sterquilinio tuo. Forte enim illud tibi invident mille, sed istum obsident decem millia, nec minus superabundantes astu-

In Psalmum XC. Qui Habitat, Serm. VII. 517

tes astutia, & crudelitate quam numero. *Cadent, inquit, à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* Verte illuc oculos fidei: forte enim jam irruerunt aditus, forte jam libere diripiunt omnia, fortè jam spolia ipsa distribuunt. Quid sinistro lateri tam male studiosus observator inhæres, nisi quod non in latere jam tibi esse, sed in facie sinistra videntur, quod hæc provideras in conspectu tuo semper; & qui tangit hoc, non latus tetigisse putetur, sed pupillam oculi tui?

*Indignum majorem esse sinistro quam dextri curam.*

Cæterum jam nunc tibi provide quisquis es dexteri negligens, sinistra lateris cultor, ne cum hædis locum accipias in sinistra quam elegisti. Asperum verbum est, Fratres, non immerito expavistis. At cavere non minus necesse est quam pavere. Et quidem Dominus meus JESUS post cætera inæstimabilis suæ erga me beneficia pietatis, etiam dextrum sibi propter me passus est latus fodi: quod videlicet non nisi de dextera mihi propinare vellet, non nisi in dextera locum parare refugij. Utinam ego talis merear esse columba quæ in foramine petra habitat, & in foramine lateris dextri. Considera tamen hoc vulnus eum penitus non sensit. Neque enim illud excipere voluit, nisi jam soporatus in morte; ut moneret te quamdiu vivis, in hujus semper lateris vigilare custodia, sed & mortuam censeret eam animam oportere, quæ quidem perniciofa insensibilitate dissimulet in dextera sibi vulnus infligi. Meritò quidem in sinistro latere positum esse dicitur cor hominis, quod affectio ejus prona sit semper & proclivis in terram. Nec sanè ignorabat hoc qui miserabiliter ingemiscens: *Adhæsit, inquit, pavimento anima mea, vivifica me secundum verbum tuum.* Sed ne is quidem in hoc pondere nos conditionis humanæ & gravedine cordis volebat remanere, qui sic admonens loquebatur: *Levemus corda nostra cum manibus ad Deum.* Planè id suadebat, ut à sinistro latere erigerentur ad dextrum. Secularis militia fratres, in sinistro tantum latere clypeum portat: non imitemur; si inter eos nolumus deputari, quos huic sæculo militare constat, non Christo: *Nemo, inquit, militans Deo implicat se negotijs secularibus:* hoc est, scutum applicat non tam dextræ quam sinistrae.

*2. Matt. 25. c. Lateris dextri in Christo aperti mysterium.*

*a Eccle. b Psa. 117.*

*c Thren. 3. d*

*d 2. Tim. 2. a*

Attamen, Fratres, utrumque nobis latus tegendum est, si meministis. *Scuto, inquit, circumdabit te veritas ejus.* Et Apostolus ipse: *Per arma, inquit, justitia à dextris & à sinistris.* Cæterum ipsam audi justitiam. Forte enim non eadem utrique lateri forma præscribitur. Nempe hinc quidem mandatur: *Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ.* Inde verò præcipitur: *Nolite locum dare diabolo.* Et item: *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Audi adhuc quomodo tegas latus utrumque; *Providentes bona, ait idem Apostolus, non*

*e 1. Cor. 6. b*

*f Rom. 12. d.*

*g Eph 4. f*

*h Jacob. 4. d.*

*i 1. Cor. 8. d*

*tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.* Hæc est enim voluntas Dei, *ut beneficientes, non modo tabescere malignorum dæmonum invidiam, verum etiam obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.* Nunquid tamen in æternum erit nobis hæc protectio necessaria? Aut certe ab utroque latere hostile agmē instabit? Erit quando non modo non instabunt, sed nec stabunt quidem. *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* Si quidem nec humanā malitia jam tunc habebit quid faciat: nec dæmonum millia plus verebimur, quam totidem vermium agmina vel muscarum, Haud aliter deniquē intuebimur eos quā filij Israel transmissio jam mari rubro undique sui Ægyptios mortuos, sed & rotas curruum ire in profundum cernebant, ut & nos scilicet (longe tamen securius & delectabilius) cantemus Domino quod gloriose honorificatus sit, equum & ascensionem ejus deiiciens in abyssum.

## S E R M O VIII.

De *ps. VIII.* *Veruntamen oculis tuis considerabis, & retributionem peccatorum videbis.*

**B**revius quidem vobis aliquandò, dilectissimi, loqueremur, si crebrius id liceret: quod & vos credimus nonnunquam advertere potuisse. Cæterum quotiens ipsa diei præoccupante malitia, pluribus fortè diebus molestissimum sustinuimus à vestra exhortatione & consolatione silentium, neminem vestrum reor oportere mirari, si tempus ipsum redimere cupientibus nobis, sermo rarior interdum protractior videatur: Hoc sane nobis actum sit brevi præmio, ut hesterni pariter hodiernique sermonis, illius quidem prolixitas hujus verò brevitatis excusata apud vos habeatur. Vereor siquidem minus gratam fore nonnullis vel fuisse illam, vel istam fore, aut magis utramque quā alteram. *Scuto, inquit, circumdabit te veritas ejus: non timebis à timore nocturno: A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurso & demonio meridiano. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit.* Diximus hinc præcedentibus sermonibus, quod dignata est veritas ipsa largiri, quemadmodum scilicet fidelem animam interim quidem à tentationibus, postmodum verò à difficultatibus tueatur. Quæ tamen utraque brevius quidem in alio psalmo idem iste Propheta commendans; *In te, inquit, eripiar à tentatione, & in DEO meo transgrediar murum; quod ipso nimirum duce. nec hic gradiens offendiculum, nec egrediens*

Psal. 17. d